Gregorowic Sigismundi: Quaestio de scientia naturali peripatetica in communi.

QVÆSTIO
DE
SCIENTIA NATV-
RALI PERIPATETICA IN
Communi.

OCTO LIBRIS PHYSICIS AB ARISTOTELE comprehensa.


A

M. SIGISMVNDO GREGEROWIC COLLEGA MINORE,

AD DISPVTANDVM PROPOsita, Anno D. M. DC. XXVI.
Die 17. Aprilis. Hora 10.

Permissu M. D. Rectoris.

CRACOVIÆ,
Jn Officina Typographica Francisci Cæsarij,
Anno Domini 1626,



QVid mihi Virtutes Vestras celebrare necesse est,
Quas adeò clarè, Regia Sceptra canunt.

Admodum Reuerendis & Excell. Viris, Dominis, S. Theologiæ in Almâ Academiâ Cracouien.

DOCTORIBVS,

LICENTIATIS, SENTENTIARIIS, BACCALAVREIS, REGIIS PROFESSORIBVS, COLLEGII MAIORIS COLLEGIS. Dominis & Patronis, maxima obseruantia colendis.

SALVTEM ET FELICITATEM P.

FEceram non ita pridem, pro loco inter Collegas Academicos obtinendo, sub auspiciis felicibus Illustrissimi & Reueredissimi tum Luceorien: nunc verò Wladislauiensis & Pomeraniæ Antistitis, Senatoris de Ecclesia Dei, & Rep. meritissimi, de Natura cœlesti, velitationem. Non aduersos habuit successus contentio; aderant enim præcellentium è Vestro Collegio perauguſto Virorum animi, qui laboribus honestis & conatibus haud quaquam reprobatis, conuenienti præmio calcar ad maiora cursum intendenti addendum putauerunt. Nunc iterato cum virium mearum periculum facere, & otij Philosophici rationem apud Vos Admodum Reuerendos & Clarissimos Dominos deponere cogito; Illud potissimum Contemplationis accipio, quod maximus Philosophorū Aristoteles, de Ente mobili; (liceat modò in palæstra Philosophica Philosophico more loqui) eiusq; causis, principiis, affectionibus internis externisq;, octo Libris complexus est. Idq; vel hoc nomine facio,

vt inde syncera & pura Aristotelici instituti Veritas, quam ego libros illius octo de Auscultatione Physica iuuentuti Academicæ interpretatus, sedulò inquirebam, in lucem prodeat: tum vt ipsa Docendi ratio, quam in abditis reconditisq; sensibus tanti Philosophi reserandis secutus sum, è profundo (quod aiunt) Democriti puteo eruta, fauore vestro perbenigno lætetur. Vestri autem nominis protectione, vestroq; splendore gaudere cum ipsa veritate volui, vt potè à quibus præceptoribus eruditissimis & omni scientiarum ac disciplinarum genere instructissimis hæc me didicisse libenter ac merito recognosco. Non deerit profectò animus in tam difficili negotio, si modò vos Viri præstantissimi pro Vestrâ singulari humanitate & in literas propensione, hoc quod Vestrum est & in vestro sinu natum, innatâ vobis beneuolentiâ & patrocinio complecti velitis. Ego verò Deum Optimum Maximum votis pro Vestrâ communi salute profusis demissè venerabor: vt felicissima in dies bonorum omnium incrementa, cum incolumi valetudine ex immenso Beneficientiæ suæ Oceano in Vos omnes liberalius effundat. E Collegio Minorum Professorum pridiè Non. April.

Admodum R. & Excell. Dominat. V.

Cliens deuotiss: æternùm

M. Sigismundus Gregerowic

C. Min.

QVÆ-

Jn Nomine Domini Amen,

QVÆSTIO.

V Sciẽtia Naturalis nomine Philoſophiæ dignisſima, Vna ſpecie, nõ genere, Speculatiuaq; exiſtẽs, necnon Ens mobile præciſè ſumptum pro obiecto Formali conſiderans, Communium principiorũ, cauſarũ & & affectionũ, quarũ aliæ intrinſecæ, aliæ extrinſecæ dicuntur, tractationem tantũ ſuſcipiat; an verò etiã ſuperioris ordinis aliquid tale attingat, necne?

CONCLVSIO PRIMA.

Naturalis Philoſophia eſt verè & propriè Scientia.

COROLLARIA.

1. *Error eſt antiquorum, cognitionem veritatis homini eſſe impoſsibilem aſſerentium, & omnem ſcientiam auferentium.*
2. *Rerum naturalium nomine, corpora ſenſibilia, nempe Cœlos, Elementa & Mixta, hoc loco intelligimus.*
3. *Scientia rerum Naturalium nomen ſibi vſurpat Philoſophiæ.*

4. *Jnconſtantia & mutabilitas rerum naturalium, vt potè quæ non ſemper ſe eodem modo habent, non impedit naturam Scientiæ.*

5. *Corruptibile in Vniuerſali, ſempiternæ eſt Quidditatis & Eſſentiæ: Enunciationeſq́; dictæ de eo ſunt immutabilis veritatis.*

6. *Corruptibilis in vniuersū directā eſſe ſcientiam, in cuius naturam directè fertur Intellectus: particularis verò, nonniſi ex cognitione Vniuerſalis & ſecundariò dicimus.*

CONCLVSIO SECVNDA.

Scientia Naturalis Speculatiua exiſtens, eſt vna ſpecie ſcientia, vnuſque ſimplex habitus.

COROLLARIA.

1. *Theoricum & Practicum, ſunt differentiæ eſſentiales & intrinſecæ ſcientiæ.*

2. *Scientia ſpeculatiua rectè in Phyſicam, Mathematicam, & Methaphyſicam, diuiditur.*

3. *Naturalis ſcientia, reſpicit ſuaptè natura ſolam cognitionem.*

4. *Sicut ridiculum eſt dicere, aliam atq́; aliam eſſe ſcientiam Matheſeos, quæ tractat de linea, ſuperficie, triangulo, quadrangulo: geminum*

in modum à vero alienum est dicere, diuersas esse scientias specie Naturales, quarum altera de Materia & Forma, &c. altera de Affectionibus communibus doceat.

5. *Modus definiendi per Materiam & Formã, Physicam, scientiam contemplatricem, vt Mathematicam per solam Formam, Methaphysicam per vniuersalissimas rationes; arguit.*

6. *Intellectus noster, vna & simplicissima potentia, vt fertur optimè in plura obiecta specie diuersa materialiter. ita & Naturalis sciẽtia, etiamsi feratur in plures conclusiones, erit vna simplicissima qualitas.*

CONCLVSIO TERTIA.

Proprium scibile quod subiicitur scientiæ Naturali pro Obiecto formali, est Ens Mobile prçcisè sumptum.

COROLLARIA.

1. *Toto Cœlo errant illi qui dicunt, Ens habere se vt materiale obiectum scientiæ Naturalis, Mobile autem vt Formale; cum hæc duo vnum significant, nempè subiectum adæquatum Formale.*

2. *Mobile quia non tam laborat æquiuocatione vt naturale, optimè exprimit rationem Formalem, obiecti Physici.*

3. *Ens mobile non tantum habet rationem Formalem obiecti Scientiæ, sed etiam obiecti Intellectus, vt dicit quidditatem rei materialis.*

4. *Absurdum censeri non debet, ponere idem subiectum octo Physic. & totius scientiæ Naturalis: nisi fortè vtrobique in eodem sensu sumatur, quod non asserimus.*

5. *Ens vt scibile, non præsupponit abstractionem totalem, quam vniuersale à suis particularibus exigit, sed abstractionem formalem.*

6. *Doctrinæ Aristotelicæ consentaneum est, obiecta scientiarum distribui ex latitudine Entis secundum communissimas rationes, in quibus omnia Entia conueniunt, cuius cum aliæ Scientiæ partem capiant, tum quoq; ipsa Scientia Naturalis, Ens quod possibile est moueri.*

CONCLVSIO QVARTA.

Scientia Naturalis in communi, octo Libris ab Aristotele comprehensa, explicationem communium Principiorum, causarum, & affectionum Naturalium continet.

CO-

COROLLARIA.

1. *Doctrina Principiorum Naturæ atq́ Causarum, institutum Scientiæ huius edocet.*

2. *Cognitio proprietatum Entis mobilis, nempe Motus, Infiniti, Loci, Vacui, & Temporis, eiusdem scientiæ intentum ostendit.*

3. *Ex tribus principiis, scilicet Materia, Forma, Priuatione, primum locum sibi vendicat Materia, subiectum Formæ substantialis, substantia incompleta, pars quidditatis naturalis, differens à materia Cœli genere Physico, ex se non cognoscibilis sed per analogiam ad Formã, in potentia ad Formã substantialem & accidentalem, nullum actum includens.*

4. *Forma secundum principium, dans esse simpliciter inseparabile à se, recipitur in materia nuda, vt actus, educiturq́ de potentia materiæ, præter Animã rationalem, in illaque præexistit secundum esse virtuale, quod à priuatione est omnino distinctum.*

5. *Causas quarum Physicus naturam disquirit, vt sunt generationis, corruptionis, & cuiusuis alterationis principia, quatuor esse, Materialem, Formalem, Efficientem, & Finalem*

lem

lem, quibus Causæ per accidens duæ, ex effectibus non intentatis prodeuntes, annumerantur scilicet Fortuna, & Casus.

6. *Causæ secundæ etsi habeant veram efficientiam Physicam, concursu tamen actuali Primæ, ad producendos effectus indigent.*

CONCLVSIO QVINTA.

Communes passiones Entis mobilis, quædam sunt Intrinsecæ quædam Extrinsecæ.

COROLLARIA.

1. *Motus & Infinitas sunt intrinsecæ & communes passiones Entis mobilis, eo quod non sint extra naturam eius; ut Locus, Vacuum, & Tempus, quæ sunt extrinsecæ.*
2. *Motus primum locum tenet, ob maximam cum natura affinitatem, estq́ entitas successiua & non distincta à suo termino realiter, sed formaliter solum, existens in mobili tanquam in subiecto, non productiuè sed subiectiuè.*
3. *Infinitum cuius semper est aliquid accipere extra, dari in natura Cathegorematicè, imò & per potentiam Dei absolutam, neq; secundum magnitudinem, neq; secundum multitudinem,*

dinem, tam in rebus materialibus, quàm in immaterialibus, nisi Syncathegorematicè, constanter asserimus.

4. *Locus prima passio extrinseca Entis mobilis, est terminus continentis primo immobilis; alter quidem communis, qui multa sine ordine continet, vt Cœlum; alter proprius, qui vnum tantũ corpus immediatè circumscribit.*

5. *Vacuum nequaquam dari, neq; insertum corporibus, neq; auulsum ab eis, propter incolumitatem Vniuersi, quæ mutuam cohæsionem partium poscit, ad influxum cælestium transmittendum, certò affirmamus.*

6. *Omnium hominum de Tempore loquentium consensus docet, Tempus esse ens reale & successiuum, partim dependens partim independens ab Anima.*

CONCLVSIO SEXTA.

Non est impossibile, præter hanc principiorum tractationem Physicam, Philosophum etiam attingere ea in hac Scientia, quæ sunt Altioris ordinis.

COROLLARIA.

1. *Motum semper fuisse, & maximè circularem perpetuo existere demonstrans Philosophus,*

Pri-

Primum Motorem inuestigat, eiusq́ æternitatem demonstrat.

2. *Medium efficax Physicum, quo Primi Motoris æternitas optimè demonstrari potest, est Motus.*

3. *Non tam collectione necessaria, quàm potius ex hyppothesi, Primi mouentis æternitatem colligere licet in Aristotele.*

4. *Supposito motu æterno, sequitur optimè, Mouens esse sempiternum, etiam necessitate consequentis.*

5. *Motus quatenus continet motionẽ, tam caussæ efficientis quàm finalis, ducit ad Mouens simpliciter & absolutè primum.*

6. *Prima caussa, purus & summus Actus, omnes in se perfectiones eminentissimè continens, est sempiternæ durationis & infinitæ virtutis, per Philosophum 8. Physic. qui præparatorius est ad duodecimum Methaphysicum.*

DEO GLORIA ET GRATIA.